CALIFORNIA

Apostolus historiam uituli aurei Aaro
ad postrema tempora refert. 1. Cor.
ait, scriptam esse ad admonitionem n
stri, in quos fines sæculorum deuenerun
ne efficiamur idolatræ, sicut quidã ex popu
lo Israhel idolatræ facti sunt. Ideo recte
noſtra tempora a nobis accommodatur.

Personam populi seditiose postulantis
Aarone, ut noua sacra institueret, prophani
impij magistratus & subditi nostro tempo
gerunt.

Magistratus & populus recte institutus,
piam doctrinam purumq; dei cultum ex an
mo amplexus, nihil perinde cupit, quam e
retinere perpetuo.

Non petit mutationem, sed inuitus uiole
ter abstrahitur a synceri cultus administratio
ne, & cogitur uitulum aureum adorare.

Impij & hypocritæ in magistratu & in po
pulo suis rebus dediti suisq; fortunis cõsule
tes partim postularunt, partim approbarunt,
partim ultro receperunt idolum Papistic
abominationis.

Capita autem & authores primarij con
flati idoli, sunt supremi magistratus et prin
cipes, qui seditiose gladium stringunt in Chri
sti Ecclesiam, & bellis iniustis ac proscriptio
nibus uiolenter cõgunt idolũ suum adorare.

Secundas post ipsos partes obtinent, qui
poten

potentib. morem gerunt, Et religiones ad suas & ipsorum cupiditates attemperant, alij ex Gigantea tementate, alij ex ambitione & auaricia, alij ex carnali metu & sapientia.

Ex hoc genere qui optimi sunt, Aaronis personam gerunt.

Idolum desolationis, quod hoc tempore in templo dei collocatur, uere Vitulus est aureus, siue causas Efficientes, siue Formalem, siue Finalem spectes.

Vitulum aureum Aaronis conflarunt diffidentia in Deum, desperatio de dei auxilio, impatientia populi, impius timor, humanæ sapientiæ magisterium, præsumptio & impia fiducia.

Cum Moses ad breue tempus abesset & differret reditum, Populus eam moram impatienter ferebat, ac in pejore trahebat partem, languescebat fiducia in Deum, reditum Mosi & auxilium a Deo promissum in dubiũ uocabat, & existimabat de alijs præsidijs circumspiciẽdum, nouoq; cultu sibi Deum demerendum esse.

Indicant id haud obscure uerba Mosi, qui sic scribit, Videns populus, quod moram faceret Moses etc. & uerba populi dicentis, Surge fac nobis deos, qui nos præcedant. Mosi enim huic uiro, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit.

Etsi autē authores idoli, in Ecclesia Chri collocati, optima quæq; prætexūt, & inculp ti animi ac studij laudem sibi usurpant, tam res ipsa conuincit eos, & testantur id ipsorum actiones, consilia, dicta, factaq;, quod idolum hoc inuexerunt, diffidentia in Deum, desperatio de Dei præsidio, & ex præsentibus periculis liberatione, impatientia longiusculæ moræ, qua differt Deus reditum & auxilium suum, impius timor & consilia carnalis sapientiæ, quæ dictat, minantibus & urgentibus undiq; malis, aliquid præsidij quærendum esse.

Populus Israel habebat suos conuentus, agitabat consilia, quæ tam uidebantur speciosa, firma & certa, quibusq; tantum nitebatur, ut pro legibus & immutabilibus decretis ad Aaronem adferret, & imperiose mandaret, ut nouum cultum institueret.

Ita plane aureus erat uitulus ille, non tantum Materia, ex qua formabatur, sed etiam speciosis illis consilijs & opinionibus populi.

Habentur & nunc crebri conuentus, non tam populi, quam principum, agitantur consilia, scribuntur nouæ sacrorum leges, quæ authoribus in tanta sunt admiratione, sic extolluntur & urgentur, ut idolum nunc

in templo Domini constitutum hominum consilijs & opinionibus plane sit aucum.

Idolatria est, propria temeritate sine Dei mandato, multoq; magis contra Dei Verbum, instituere cæremonias, easq; mandatis & pœnis propositis imponere subditis, mandata talia probare, & ex hominum mandatis recipere superstitiosos ritus, presertim eorum, qui eos instituunt, & mandant recipi ac seruari tanquam cultus.

Idolatria est, sequi suas cogitationes, niti suis consilijs, prohibitis medijs consulere religioni, paci, incolumitati suarum fœminarum, uitæ &c.

Aaron propria temeritate, carnali timore, & propria sapientia, non tantum sine uerbo dei, sed etiam contra manifestum Dei mandatum nouum cultum instituit, & populus institui flagitauit. Itaq; idolatriæ peccato Aaron cum populo se polluit cultu tituli.

Sine Verbo DEI, ex mandatis hominum, contra mandatum Domini, Papistici ritus, damnati, & reiecti, probantur, suadentur, instaurantur, & in Ecclesiam Christi nũc admittuntur.

Et quanquam contendunt nostri

Aarones, se recipere & administrare cæremonias omni superstitione remota, Tamen constat has cæremonias per se esse supstitiosas, ac in Papatu seruire superstitioni, eamq; secum reuehere.

Nec illud negari potest, aduersarios non solum Cæremonias, sed & superstitiones cæremoniarũ obseruari, & cultuũ opinione ritus aboditos in Ecclesias nostras reduci uelle.

Idolatria est, homines plus timere, quam Deum, plus obedire illorũ quã Dei mandatis.

Aaron ex metu seditionis & periculorum populo cessit, & impio edicto paruit.

Nostri Aarones metu bellorum & deuastationum impijs postulatis consentiunt, & edictis principũ obtemperant, Id satis testantur ipsorum Consilia, Quereiæ, Persuasiones, quib. præsentia pericula plus quam Rhetoricis amplificationibus exaggerant, aliosq; in similem metum & seruitutem inducunt.

Aaron nihil minus uideri uolebat, quam in Idolatriam cõsentire, Idolum facere, Idolatriæ authorem & cultorem se esse, cũ populo obsequutus nouum cultum uituli aurei institueret.

Nec nostri Apostatæ, Idolatræ & Desertores audire uolunt, & longissime a se remouẽt notam idolatriæ, & desertionis culpam procul a se relegant.

Aaron

Aaron sibi mire placebat de nouo cultu, quasi obsequiũ præstaret Deo, eiusq; cultum amplificaret. Nam Domino ædificabat altare & festum indicebat Domini, non Vituli, aut Dæmonis.

Moses opinionem Aaronis scite exprimit, cum cõmemorat, festum Domini eũ proclamasse, & populum pulchre attemperasse, seu præparasse, ac quasi ad cultum Dei aptasse.

Et populus in speciem ualde sanctæ & religiose se gerebat in celebrando nouo cultu magna solennitate.

Conueniebant mane, & sacrificabant, laudebant & saltabant, quasi re bene gesta, & Deo prorsus placato.

A Deo tamen longe aliter iudicantur Aaron & populus. Accusantur grauissime de defectione & idolatria. Dicit enim ad Mosen, Populus citò recessit a uia, quã ostendisti eis, fecerunt sibi uitulum conflatilem & adorauerunt, hostias ei immolauerunt.

Negat populum sibi instituisse cultum, se adorasse, sibi sacrificasse, Omnia dicit idolo facta esse.

Idolatria est, nouos cultus & cæremonias instituere impia fiducia gratiæ, & auxilij Dei obtinendi, et malis præsentibus se explicandi, idq; sine Dei mandato & promissione.

Impia fiducia populi ex uitulo aureo ido-

iam faciebat, promittebant sibi eo cultu Deum propitium & defensorem futurum, cogitabant se Deum demereri, auertere pericula, auxilium ac defensionem Dei consequi uelle.

Impiam populi fiduciam arguit, quod dicunt, fac nobis deos, qui nos præcedant.

Falsa persuasio & impia fiducia, ex cæremonijs Papisticis, quæ abolitæ iam instaurantur, aureum idolum faciunt.

Authores idoli pollicentur, aurea secula, pulcherrimam concordiam, pacem, disciplinam, conseruationem, & propagationem doctrinæ receptæ, Cæremoniæ tollent discordiam, pericula omnia amolientur, reponent in gratiam potentum, tutos præstabunt a bellis, religionem conseruabunt.

Quid hæc impia fiducia & spes uana re posita in humanis inuentionibus, & superstitionibus aliud est, quam aureum idolum cordis? &c.

Tantam fœlicitatem sibi & alijs promittere, & uanis istis promissis niti, quid aliud est, quam facere deos, qui nos præcedant?

Nec aliud mandant, quam deos, hoc est, idola facere, qui præcipiunt præscribere nouas Religionis formulas, & abolitas cæremonias

monias superstitiosas inaurare, hoc est, coloribus, & fucis nouis pingere.

Etsi autem sibi blandiuntur tam magistratus, quam subditi, conflantes & adorantes aureos uitulos humanarum traditionum & cultuum, Nec quicquam cogitant de peccato, neq; argui se patiuntur, peccant tamen grauissime.

Populus Israel nihil cogitabat de peccato, cum iuberet Deos sibi formari, suumq; uitulum adoraret, tantumq; designaret peccatum, sicq; Dei iram pronocaret, quod uellet totum populum delere.

Nec Aaron cogitabat se peccare, cum tamen peccaret grauissime, & multo grauius quam populus. Peccabat Aaron tacendo, non resistendo, non arguendo: indulgendo, & magisterio suo præeundo.

Non tantum consentiebat ad impietatem populi, sed etiam adiuuabat, & nouis sacris instituendis præerat tanquam Magister, & Artifex: iubebat ad se deferri inaures aureas, stylo præformabat formam noui idoli. Vnde dicitur in Textu, quod ipse fecerit uitulum conflatilem, & coram Mose fatetur, se proiecisse, inaures in ignē, & inde conflatum esse uitulum.

Ita iam Magistri & Artifices uituli aurei, hoc est, authores, consiliarij, & suasores

Ceremoniarū, multo grauius peccant, quam impij principes & subditi.

Peccant tacendo, dissimulando, non resistendo, indulgendo, suadēdo, artibus sophisticis & uenustis pigmentis fucando, & præformando principibus & subditis Nouæ religionis & disciplinæ formas.

Aaron peccabat, quod populū, noui cultus cæremoniarum institutione, solutū reddebat. Ita enim habet historia, quod populū fecit liberum seu solutum.

Moses loquitur de carnali libertate seu licētia, quam sibi sumebat populus & Aaron, instituendo uituli aurei cultum.

Ita enim populi cupiditati indulgebat Aaron, quasi liberum & licitum esset, sine uerbo Dei, imo contra Dei præceptum, noua sacra instituere & celebrare, nec teneretur populus ex Dei ore pendere eiusq; præceptis obedire.

Quid hoc aliud est quā populum ab obedientia soluere?

Accedebat & petulantia populi ac indulgentia luxus intemperantis. Nam populus sedebat ad manducandū, surgebat ad ludendū, tripudiabat & saltabat, in idoli sui solemnitate.

Iu eodem genere peccant nostri Aarones, populū reddunt liberum & solutum.

Solus

Soluunt enim populum ab Obedientia Dei prohibentis propriis consiliis niti, suaq; sapientia contra eius uerbū reiectas, & damnatas cæremonias instaurare, Prohibentis etiam scandalū infirmorū, contumeliā sui nominis, Præcipientis confessionem sui Euangelij &c.

Populus in eam inducitur persuasionē, licitum esse in Ecclesia gerere, instituere, administrare & mutare omnia, nouas cæremonias recipere pro hominū arbitrio, & religionē ad gratiam hominū & commoda sua inflectere.

Putat populus, receptis Papisticis cæremonijs, se iam defunctum periculis, liberatum a confessione, a persecutione & crucis tolerantia.

Existimat sibi iam factā libertatem suo modo uiuendi, indulgendi, genio ludendi &c.

Atq; hoc propriū est traditionum humanarū & superstitiosarū cæremoniarum, populum a Dei obedientia solutum reddere, & a Spūali libertate perducere ad Carnalē libertatem, quæ est Satanæ seruitus.

Per traditiones & cæremonias ab hominibus adinuētas in Papatu populus & gubernatores dissolutissimi facti sunt.

Existimabant se pie perfunctos suo officio & omnia sibi licita, si traditiones humanas

nas, & superstitiosas cæremonias obseruarent.

Vt autem Magistri traditionum humanarum peccant grauius, suoq; exemplo & authoritate pejus nocent, ita merentur duriorem, & acriorem reprehensionem, quam alij.

Nec est in tanta causa, tantis peccatis, tanta iræ Dei prouocatione, tantis deniq; malis, ratio habenda personarum.

Moses nec fratris quidem sui rationē habebat, sed eum prius, & grauius, quam populum, arguebat.

Non ualebat apud Mosen fratris excusatio, de malitia, & importunitate populi, de periculis seditionis, quod ille maluerat cedere, quam seditioso populo reluctari, existimans e duobus malis leuius esse, permittere aliquid populo in sacris instituendis, quam seditioni locum dare.

Non ualebat apud Mosen Aaronis disputatio, quod illa cæremonia noui cultus res esset leuicula, & ob rem tam paruam non pertinaciter contendendum, nec res in summum discrimen esset adducenda.

Nec nostros Aarones excusat bona intentio, & studium compescendi iras, & bella eorum, qui fremunt aduersus Christi nomen,

men, neq; id liberat illos a peccato, & reprehensione.

Nec habet in hac mutatione, plena scandalis & malignorum disputatio, quod de rebus paruis non sit contendendum.

Non indigne ferebat Aaron se reprehendi a fratre, Non iudicabat eum esse nimis durum, & horridum reprehensorem.

Nec decet nostros Aarones indigne accipere priorum, uel admonitionem, uel reprehensionem, nec admonitores suos iudicare, & auersari, tanquam inhumanos & duros.

Qui ægreferunt, ob suam indulgentiam, timiditatem, prepostera consilia, et multiplicem prævaricationem, se uel moneri, uel reprehendi, longe absunt ab Aaronis modestia, & integritate.

Habet quidem Moses speciem hominis duri, inhumani, & sæui, si non æstimentur dicta, & facta eius, ex obedientia erga Deum, & ex charitate, unde illa proficiscebantur.

Intemperantis & furore perciti speciem habet, quod Tabulas allatas ex Monte a se proiicit & frangit, motus indignitate rei, cum uideret populum nitulum adorantem.

Et ta-

Et tamen sancta erat ira, iustus dolor, ac motus uere Heroicus & diuinus aduersus diabolum & idolatriæ scelus, ex consideratione iræ diuinæ & exitij populi ortus.

Inhumanitatis & crudelitatis speciem habet, quod increpat fratrem, populi improbitate impulsum ad noui cultus institutionem, & quod iubet Leuitas grassari gladio in populum, nec quidem ratione habita ppinquitatis: & quod promittit remunerationem a Deo interficientibus etiam propinquum fratrem & proximum. Quis Stoicus unquam uideri potuit, tam durus & inhumanus quam Moses si facta illius sinistre iudicentur.

Ita nũc iudicantur quidam, duri, horridi, inhumani, crudeles, & si nihil sunt minus, qui resistũt uituli aurei formatoribus, nec eũ adorare uolunt. Et cultores eius, in primisq; magni nominis authores, arguunt, uel saltem benigne monent & corripiunt. Indignissime ferũtur omnia, quasi ex furore, odio, extrema inhũanitate & crudelitate profecta, cum tamen ex pio Zelo & iusto dolore & sollicitudine, ex obedientia & intima dilectione ista prosiscãtur & inde iudicari debeãt, & recte tantum iudicari possint.

In Mose illa, quæ uidebantur intemperans ira, furor, inhumanitas & crudelitas, obedientia erat erga Deum, sanctus Zelus, iustus do-

dolor misericordia & summa dilectio animi optime & suauissime adfecti.

Id quod testatur & oratio eius, qua deprecatur & auertit irá Dei, & illa deuotio, quod ex libro uitæ deleri se uellet, si Dominus non ignosceret populo.

Animi optime adfecti & solliciti Dei gloria, & Ecclesiæ salute, & eximiæ benevolentiæ testimoniũ, præter alia multa, abunde iam præbet oratio eorũ, qui ex optimo animo, deflectentes a uia recta admonent & reuocãt, item uota illa, quod exoptãt se potius exorbitare suo periculo & dãno, & Aarones Ecclesiæ immunes ab omni errore & culpa præuaricatiõis, recta insistere magno bono Ecclesiæ.

Pij autem, pro suo quisq; officio, libenter imitentur sanctissimi uiri Mosi exemplum, idolatriã reprehendant ac euertant, & omnia instrumenta & occasiones idolatriæ tollant, purumq; & incontaminatum cultum Dei conseruent.

Moses euertit et dissipauit Vitulum aureum, ne relinqueretur ulla in posterum occasio idolatriæ et scandali.

Hoc pij ducant Deo gloriosum, Ecclesiæ salutare, sibi honorificum, euertere potius idolatriam et omnes causas superstitionum tollere, quam allo modo instaurare, et adiuuare impietatem sæuitiamq; restituentium Papatum.

Imitentur

Imitentur quos Mosen pij imit
feruore, uehementia, & constantia, leg
cibus suis tanquam murum oppona
uersus ingentem DEI iram, infinita Ido
tria, aliisq; peccatis
exacerbatam
Vel saltem mitigent, subnixi Fide promis
nis DEI factæ in IHESV CHRISTO
diatore nostro, AMEN.

FINIS.